

tales. Quapropter Canone I. decretum est, ut nemo deinceps pro legitimo Pontifice haberetur, nisi a duabus partibus Cardinalium esset electus.

Damnati sunt in eo Concilio Waldenses, sic dicti a Petro Waldo dicitur Lugdunensi, eorum Auctore: vocati sunt etiam Pauperes de Lugduno a loco, in quo Secta nata est: item *Inabrahani*, sive quia in calce, quem Hispani *Zapato* vocant, signum speciale ad modum scuti deferabant; sive quia nulla Sabbathi, seu festivos dies celebrabant: in odium sectæ, a Catholicis appellati sunt *Thelapini*, *Poplicani*, *Ribaldi*, *Pipiles*. Eorum errores recensere longum foret; erat enim hæc heresis colluvies, seu quasi collectio omnium errorum hujus sæculi. Hos fusc exponit Natalis Alexander Hist. Ecclesiast. sæcul. 11. & 12. c. 4. a. 17. ex Reinero, qui inter hos Hæreticos fuerat Episcopus. Plures alios Canones edidit hoc Concilium pro resarciendis disciplinam circa simoniam, usuram, polygamiam, fastum, & avaritiam Clericorum. Numerantur 27.

Concilium Lateranense IV. Generale duodecimum.

Hoc Concilium vulgò dicitur magnum Lateranense ab Innocentio III. celebratum ann. 1215. Huic præsedit Innocentius, adfuerunt duo Patriarchæ, Constantinopolitanus, & Jerusalemitanus; Antiochenus, & Alexandrinus impediti; primus infirmitate, secundus Saracenorum tyrannide; per Procuratores; Primates, & Metropolitani 77. Episcopi 412. Abbates, & Priores 800. & amplius, abbas in Prætorium, & Capitulum Procuratores innumeri, Imperatorum Orientis, & Occidentis, Regum Gallie, Hungarie, Jerusalemorum, Cypri, & Aragonie Oratores.

In hoc Concilio decreta est expeditio in Terram sanctam, concessæ indulgentiæ cruce signatis; hi liberentur ab omnibus oneribus publicis, & sub Apostolicæ Sedis potestate, & protectione suscipiantur: præscribitur Episcopis, & aliis Clericis sub pena Excommunicationis, ut per triennium vigesimam partem suorum proventuum in subsidium Terræ sanctæ conferant: se quoque Pontifex cum Cardinalibus ad decime collationem adstringit, & insuper triginta millia librarum in eundem finem contulit.

In eodem Concilio damnati sunt Albigenes: 1. Novi Manichei duo prima præcipia admittebant, bonum invisibilem, malum visibilem Creatorem. 2. Sacramenta abrogabant. 3. Resurrectionem carnis negabant. 4. Purgatorium, & Oraciones pro defunctis irridebant. 5. Ab umbilico, & inferiori neminem posse peccare, affirmabant. 6. Sacramentum Imaginum veneritatem idololatricam esse, & Campanas turbas de unum, dicebant. 7. B. Mariam Dei Genitricem, horribile eiatu, meretricem inclinabant. 8. Injuste ablata non esse restituenta; bona opera non produsse, & mala non obesse, prædicabant. Hæc, & plura alia falsa, & impii, que tunc describit Natalis Alexander Hist. Ecclesiast. sæc. 13. cap. 3. §. 2. passim disseminabant. In his delibandis, & convertendis plus omnibus laboravit SS. P. Dominicus, utque non desesset Catholicæ fidei propugnatores adversus hos, & alios futuros hæreticos, FF. Predicatorum Ordinem instituit.

Item proscriptus est error Abbatis Joachim, qui dicebat, in Trinitate tres personas non esse unam essentiam numero, sed collectivè tantum, sicut plures homines sunt unus populus. Non tamen fuit damnatus ut Hæreticus, quia non fuit pertinax.

Item summus Pontifex in eodem Concilio indulsit Sedi Constantinopolitane locum post Romanam, de quo in pluribus Conciliis actum fuerat, sed nunquam concessum. Plures insuper Canones maxime circa disciplinam (numerantur 70.) condidit, inter quos est celebris Canon *Omnis utriusque sexus*, de quo diximus in Tract. de Pœnitentiâ.

Huc Concilio adfuisse S. Dominicum, plures testantur, & Innocentio III. aperuisse mentem suam de Ordine FF. Predicatorum instituendo, quem probavit Pontifex, ea de re prius in somniis cœlesti visione monitus.

Concilium Lugdunense I. Generale decimum-tertium.

Fredericum II. Henrici IV. Imperatoris filium, a primis annis parentibus orbatum, sub sua tutela suscepit Innocentius III. ipseque non solum Regnum maternum Sicilia, & Apuliam servaverat, sed etiam aditum ad Imperium fecerat, depulso in ejus gratiam Otione IV. At ingratus Princeps, sui juris factus, tot beneficiorum immemor, in ipsos Romanos Pontifices Innocentium III. Gre-

gorium IX. & Innocentium IV. hostiliter inturrexit, Romanam obadiatione circum, terras Ecclesiæ invasi, foedus cum Saracenis inivit, Italiam exalibus, & incendis depopulavit, excitata factione *Ghibellinorum* ipsi faventium contra *Guelphos* summis Pontifici adversantes; pacem initam inter Ecclesiam, & Imperium juramento firmatam pluries violavit; Cardinales, & alios Prælatos euntes ad Concilium, quod Gregorius IX. convocaverat, capi jussit, & incarcerari; de hæresi vehementibus argumentis erat suspectus; Regnum Sicilia, quod ab Apostolica Sede infendum tenebat, in servitutem redegit, atque Romanam Ecclesiam hostiliter impugnavit.

Propter hæc, & alia crimina, de quibus accusabatur Innocentius III. & Gregorius IX. ipsum anathematæ confixerant. At horum Successor Innocentius IV. conditiones pacis ipsi proposuit, quas superbus Princeps cum contemptu rejectit. Hinc persequens Innocentius, sibi tutum non esse Romæ remanere: quapropter ex Italia cum quibusdam Cardinalibus clam recessit, & Lugdunum in Gallia se recepit, ubi ut tot malis occurreret, Concilium, de quo agimus, celebravit ann. 1245. regnante S. Ludovico in Gallia. Huic concilio adfuerunt 140. Episcopi, inter quos tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejensis; item adfuit Baldwinus II. Imperator Constantinopolitanus, qui sedebat a dextris Pontificis, alii Principes a sinistris. Fredericus, personatim citatus ad Concilium, comparere noluit, sed misit Legatos, qui ejus causam defenderent: præcipuus erat Thadæus vice subillis, & creditus, qui nihil non tentavit, ut accusationes contra Fredericum dilueret. Sed hoc non obstante, lata est in ipsum sententia, qua Imperio, & Regno Sicilia, & Apulie privabatur, facta libertate iis, ad quos in Imperio spectabat electio, Successorem eligendi. Electus est Henricus Thuringie, & Hassie Langravius, sui post biennium defuncto successit Willelmus Hollandie Comes. Fredericus autem victus a Longobardis, qui in ipsum rebellaverant, fugit in Apuliam, ubi a Manfredo proprio filio, sed illegitimo, pulvina ejus ori admo suffocatus est anno a Concilio quinto.

Plura insuper circa disciplinam Ecclesiasticæ restorationem sancita sunt decreta, quæ referuntur in 6. decretalium. Item renovata est expeditio in Terram sanctam, cujus Dux S. Ludovicus fuit institutus: Cardinales novo privilegio adauxi, eo in Concilio pileo rubro donati sunt.

Concilium Lugdunense II. Generale decimum-quartum.

Mortuo Clemente IV. sedes Romana vacavit fermè per biennium. Cardinales inter se dissentientes in S. Bonaventuram, tunc Ordinis Minorum Ministrum Generalem, tandem compromiserunt; qui ommissis Cardinalibus, designavit Thibuldum Archidiaconum Leodiensium, tunc in Syria occasione Belli serti versantem. Hic assumpto nomine Gregorii X. animum, & citras statim intendit. 1. Ut subsidia militie sacre necessaria non desesset. 2. Ut Græci ad communionem Sedis Apostolicæ revocarentur. 3. Ut mores fidelium, maxime Clericorum, reformarentur, & media adhiberentur, ne deinceps Sedes Romana tandiù vacaret. His de causis Concilium generale Lugdunum intra biennium celebrandum indixit, directis tunc litteris, tunc nuntiis ad Episcopos, & Principes Orientis, & Occidentis.

Anno itaque 1274. celebratum est Lugdunum Concilium generale, cui ipse Gregorius X. præsedit. Præter duos Patriarchas, Constantinopolitanum, & Antiochenum, plures Abbates, & Generales Ordinum, adfuerunt 300. circiter Episcopi, Michaelis Paleologi Græcorum Imperatoris Legati, Jacobus Rex Aragonie, & plurium Principum Oratores. Quantum ad id, quod dicitur Sixtus IV. in Bulla Canonizationis S. Bonaventuræ, et Sixtus V. in Diplomate, quo illum Ecclesiæ Doctoribus aggregavit, S. Doctorem Concilio præfuisse, intelligendum est de Directione Concilii, quatenus a Pontifice illi commissum erat, ea, quæ proponenda, & decernenda erant, providere; præsentem enim summo Pontifice nullus alius præsidere potest. Advocatus etiam fuerat ad hoc concilium Doctor Angelicus, sed id via apud Monachos Fosse-Novæ lato cessit.

Sessio tertia, præsentibus Imperatoris Græcorum Legatis, concurrentibus unanimi voto Patriarchis Orientalibus, & omnibus Episcopis, concordia intrinseque Ecclesiæ Græcæ, & Latine iura, & firmata est. Summus Pontifex solemniter missam celebravit, in qua Symbolum fidei fuit decantatum, repetito pluries Græcè, & Latine, *Filiusque procedit*, quod hinc usque fuerat præcipuum pacis obstaculum, de quo

quo sat diximus in Tract. de Trinitate Dissert. 5. art. 4. & 7. Tum Sess. 4. lectis litteris Imperatoris Michaelis & Episcoporum Græcorum, in quibus Romani Pontificis primatum agnoscebant, legati obedientiam ipsi exhibuerunt: & eandem fidem professi sunt. Decine ex proventibus Ecclesiasticis in subsidium Terræ sanctæ denuo institutæ sunt. Forma, a Cardinalibus observanda in Electione summi Pontificis, constituta, ut nempe in conclavi includerentur interdicta quacumque cum extraneis communicatione si ve per litteras, sive per nuntios, & præmissa irritatione ejuscumque pactionis, promissionis, aut juramenti circa futuram Electionem. Deniquè varia Decreta sancita sunt circa morum reformationem, quæ referuntur in 6. Decretal.

Petes, utrum jus eligendi Romanum Pontificem semper fuerit penes Cardinales? R. negative: primis enim sæculis, Romanus Episcopus non secus, ac alii Episcopi, eligebatur, præsentem plebe, a provincialibus Episcopis, aut a Clero, saltem majori parte, ut constat ex S. Cypriano Ep. 41. 52. & 68. & ex Can. 4. & 6. Concilii Niceni.

Posteà occasione Schismatum interponi coepit auctoritas Imperatorum in Electione Pontificum, ita ut successu temporis usurpaverit jus eligendi Pontificem, aut ejus Electionem sic probandi, ut sine eorum approbatione pro Pontifice non haberetur. Hanc usurpationem nunquam agnovit, aut probavit Ecclesia. Undè Baronius & Morinus, in Historia potestatis Rom. Pontificis, bene probant esse fictitium Concilium Romanum, in quo Sigebertus Gemblacensis, qui partibus Henrici IV. addictus erat, dicit hoc jus concessum fuisse Imperatoribus; consequenter expungendos esse Canones *Adrianus* & *In Synodo* Dist. 63. quos Gratianus, nimia facilitate, ex Sigeberto excerpit.

Carolus Magnus liberis Pontificum electiones Romanis reliquit, sed Otho I. istud jus iterum sibi asseruit, & in Successoribus perduravit usque ad Henricum IV. a quo Paschalis II. & Gregorius VII. Ecclesiæ Romanæ revindicarunt. Quandonam præcisè istud jus solis Cardinalibus reservatum fuerit, incertum est. Eo jam fruebantur ineunte sæculo XI. quo florebat S. Petrus Damiani & ipse Cardinalis, qui l. r. Epist. 20. sic scribit: *Romane Ecclesiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogatis, non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura transcedunt: Salvo quippe universalis ecclesiæ Sacramento, ipsi sunt oculi vitæ lapidis, ipsi lucernæ vitæ candelabri.*

Concilium Viennense generale decimum quintum.

Religiosi Milites, Templarii dicti, eò quod circa Templum Jerusalemitanum habitarent, quàmvis etiam toto orbe essent diffusi, juxta sum institutum, Christianæ ditionis fines defendere, & Christianos ad loca sancta peregrinantes a latrociniis & Infidelium vexationibus tutari tenebantur; idque initio laudabiliter præstiterunt. Sed crescentibus divitiis in varia crimina lapsi sunt: initi feceris cum Saracenis & Turcis, horrendarum blasphemiarum in Christum crucifixum in suis arcanis coctibus, & nefandæ inter se libidinis palam infamantur.

Rem hæc gravissimam, quæ universum Ordinem, & plures nobilitate & potentia ejus professoribus consanguineos, affines, & addictos spectabat, non nisi Concilii generalis sententia definiendam existimavit Clemens V. ipsum etiam ad convocacionem Concilii moveant errores Fratricellorum, Begardorum, & Beguinarum, tunc grassantes, subsidium Terræ sanctæ conferendum, & disciplinæ Ecclesiasticæ restauratio. His ergo de causis, quas ipse Pontifex in Bulla *Regnans in Cælis* exprimit, indixit Concilium generale celebrandum Viennæ ad Rhodanum, cui ipse præsedit & adfuerunt plusquam 300. Episcopi.

Ibi sententia Concilii extinctus est Ordo Templariorum, omnibus eorum bonis concessis Hospitalariis S. Joannis Militibus. Non defuerunt, qui Apologiam Templariorum susceperint, sed magis standum est Concilii plenarij judicio. Adde, quod sententia in Ordinem non fuerit definitiva, sed per modum provisionis, nec dicat omnes esse horum criminum reos; sed quòd, cum omnes de iis infamarentur, Ordo sit factus inutilis, ideòque abrogandus.

Item damnati sunt Fratricelli, seu Dulcinistæ, sic dicti a Dulcino suo Duce, qui pellicem se in prærogatam dicebat concepsisse ex Spiritu S. Hi insuper promiscuos concubitus in suis conventualibus exercebant, & visionem

beatificam ultra ultimum judicium differri, dicebant. Si militèr damnati sunt Begardi & Beguina Fratricellorum cognati, vel propago; a quo sic dicti, incertum est. Dogmatizabant, hominem in hac vita ad summam perfectionem posse assurgere, & tunc nullis adstringi legibus humanis sive civilibus, sive Ecclesiasticis. Item hominem in hac vita posse frui visione beatifica, ad quam non requireretur lumen gloriæ. Item acus carnales, ad quos inclinata natura, non esse peccatum, consequenter coitum cum muliere culpa vacare, osculum autem mulieris esse peccatum mortale. Damnati sunt pariter errores Petri Joannis, qui dicebat animam rationalem qua rationalis est, non esse formam corporis humani; gratiam & virtutes in Baptismo non infundi; & latus Christi adhuc viventis fuisse lancea perforatum, contra expressum S. Joannis testimonium.

Subsidium Terræ sanctæ, ut in præcedentibus Conciliis, ex decimis proventuum Ecclesiasticorum statutum est. Plura sancita Decreta circa restaurationem disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ continentur in *Clementinis*. Ac tandem explicata regula S. Francisci, ut videre est *Clementina Exivi*, de verborum significationibus.

Concilium Pisanum generale decimum-sextum.

Mortuo Perusii Benedicto XI. ex ordine FF. Prædicatorum assumpto, Cardinales ibidem congregati ann. 1305. elegerunt Bertrandum de Goust Gallum Archiepiscopum Burdigalensem, qui Cardinales Lugdunum convocavit, ubi coronatus est, assumpto nomine Clementis V. Avenione Sedom fixit, ubi permansit plusquam 70. annis, usque ad Gregorium XI. qui horratu potissimum S. Catharine Senensis Romam rediit, & ibidem obiit ann. 1378. Romani veritè, ne futurus Papa in Galliam rediret, clamaverunt tumultuosè & minando se velle Papam Italiam & non alium, quorum minis terrii Cardinales elegerunt Bartholomæum Prignani Archiepiscopum Bariensem absentem, nec Cardinalem, dictum Urbanum VI. qui cum severiori agendi ratione & verbis, & factis Cardinales sibi infensos reddidisset, hi sub prætextu vitandi caloris æstivi, Anagninam primum, deinde Fundos se contulerunt, ubi congregati electionem Urbani VI. tanquam metu extortam irritam declaraverunt, & Robertum Genevensen, Episcopum Cameracensem & Cardinalem renuntiavit Pontificem, qui dictus est Clemens VII.

Et hæc est origo luctuosi Schismatis, quod 40. & amplius annis Ecclesiam laceravit. Moriente enim alterutris factionis Pontifice, Cardinales, qui illi adhaeserant, alterum eligebant, quò usque tandem ann. 1409. Cardinales utriusque obedientiam cum 180. Episcopis, tribus Patriarchis, Alexandrino, Antiocheno, & Jerusalemitano, pluribus & Abbatibus, Generalibus Ordinibus, Doctoribus, & Principum Legatis, Pisis congregati, citatis & monitis Gregorio XII. Urbani VI. Successore, & Benedicto XIII. Clementis VII. Successore, non comparentibus, in eos tanquam schismaticos, schismatis fautores, collusionis, & violatæ fidei reos, sententiam depositionis protulerunt, & Pontificatu privatos declararunt. Tum Cardinales numero 24. conclave ingressi Petrum Philargi Cretensem humili loco natum, sed meritissimum ex Ordine FF. Minorum Archiepiscopum Mediolanensem assumpserunt in Pontificem, qui dictus est Alexander V. verum nec inde fuit extinctum schisma, quin potius auctum, duobus enim Pontificibus in retinendo Pontificatu pertinacibus, adjunctus est tertius. Quidam hoc Concilium à numero Generalium rejiciunt; quia non fuit auctoritate Pontificis convocatum: sed videtur, quòd in casu schismatis, quòd est dubius Pontifex, Ecclesia habet jus convocandi Concilium, si non ad ultimam definienda res fidei, saltem ad sibi providendum de certo capite, ut factum est in sequenti Concilio Constantiensi: alioquin Christus non satis providisset necessitati & securitati suæ Ecclesiæ.

Concilium Constantiense generale decimum-septimum.

Cum tres de Summo Pontificatu contenderent, Balthasar Cossa sub nomine Joannis XXIII. qui Alexandro V. successerat, Angelus de Corario sub nomine Gregorii XII. & Petrus de Luna sub nomine Benedicti XIII. dirumque schisma magis ac magis Ecclesiam dilaceraret; Sigismundus Romanorum Imperator & Hungarie Rex, non satis laudandus ardenti Religionis zelo, nullis laboribus pepercit, ut illum extingueret. Non solum Legatos circumquaque ad Principes misit, sed ipse Galliam, Ita-

liam, Germaniam, Angliam, Hispaniam in hunc finem peragravit, quò usque tandem a Joanne XXIII. obtinuit litteras indicentes Concilium generale Constantiæ, cum proprie dimissionis promissione.

Anno itaque 1413. indictum est a Joanne XXIII. Concilium generale Constantiæ, & anno sequenti 5. Novembris, inchoatum, absolutum fuit post 4. annos scilicet ann. 1418. 22. Aprilis. Sub initium illi præfuit Joannes XXIII. & sess. 2. solemniter juramento promisit se Pontificatum cessurum, quoties alii duo contententes cedere vellent. At non multo post ipsum promissi poenituit; clam enim nocte Constantia aufugit Schafusiam sub ditione Frederici Austriae Ducis, qui ipsi favebat. Post hujus fugæ perquisitiones & legationes ac citationes missas ad eundem Joannem institui cepit processus criminalis contra ipsum, in quo de variis criminibus accusatus & convictus, ac etiam confessus, se jurisdictioni Concilii submisit, dixitque nihil habere, quò se defenderet. Unde Concilium in eum tulit sententiam, qua fidei juramento promissæ violator, & plurimum enormium criminum in processu reatorum convictus & confessus, privatur Pontificatu, nunquam eligendus, & sub custodia Sigismundi Imperatoris, quamdiu Concilio placuerit, detinendus.

Sessione 14. advenrunt Delegati & Procuratores Gregorii XII. inter quos præcipui erant Joannes de Malatesta Princeps Arimini, & Joannes Dominicus Cardinalis de Raguino. Hi nomine & auctoritate Gregorii XII. Concilium solemniter convocarunt & confirmarunt, postea sessionem ejusdem Gregorii Pontificatus, prius datam Sigismundo, Concilio tradiderunt. Sessione 37. celebrata 26. Julii præsentia Joanne Cardinali Ostiensi, ut in omnibus anterioribus Sessionibus a recessu Joannis XXIII. post plures citationes & processus, definitiva tandem sententia exauctorationis lata est a Concilio contra Petrum de Luna, dictum in sua obedientia Benedictum XIII. tanquam perjurum, universalis Ecclesiæ scandalizantem, factorem inveterati Schismatis, schismaticum & hæreticum, hujus articuli fidei: *Unam sanctam Ecclesiam Catholicam, violatorem pertinacem, &c.*

Sessione 40. decretum est, pro hac vice tantum, ut Pontifex eligeretur a Cardinalibus & sex Prælatibus ex qualibet natione, Italica, Gallicana, Germanica, Anglicana & Hispanica assumptis; & qui a duobus partibus Cardinalium simul a duobus partibus adjunctorum ex qualibet natione esset electus, foret versus Pontifex. Sessione 41. Cardinales numero 20. & Electores nationum 30. intraverunt Conclave, & tertia post die 11. Novembris elegerunt Othonem Columna nobilem Romanum, Cardinalem Diaconum S. Gregorii ad velum aureum, qui in honorem S. Martini cujus festum ea die celebrabatur, voluit nominari Martinus V. & die Dominica 21. Novembris in Ecclesia Constantiensi solemniter coronatus est.

Sessione 45. et ultima, rogatus Pontifex, ut acta Concilii confirmaret, respondit ore proprio: *Se omnia & singula Concilii in materia fidei conciliariter decreta tenere, inviolabiliter observare velle; & non aliter, nec alio modo; quod per Advocatum Concilii postea iterari jussit. Materiam autem fidei diximus, Dissert. præcedenti, principaliter spectare condemnationem hæresium Joannis Wiclefii, Joannis Hus, & Hieron. de Praga, quorum duo ultimi (obierat Wiclef) traditi sunt brachio sæculari, & combusti tanquam pertinaces in hæresi. Nec ideo violata est fides salvi conductus ipsi dati. Enim verò Concilium non dederat salvum conductum Joanni Hus, sed Imperator, a quo non poterat ligari Concilii auctoritas, præsertim contra justitiam & fidem. Dederat quidem Concilium salvum conductum Hieron. de Praga, sed adjecta hac clausula, *Justitia semper salva.* Exigebat autem justitia, ut in Hæreticos pertinaces animadverteret. De quo plura Natalis Alexander in Hist. Secul. 14. Dissert. 7.*

Hoc itaque Concilio & electione Martini V. pax redita est Ecclesiæ, quamvis nondum penitus extinctum esset Schisma: nam Petrus de Luna umbralitem Pontificatum pertinaciter retinuit usque ad mortem, & jussit moriens, ut duo Cardinales ipsi adhuc adherentes, ipso mortuo, alterum Pontificem eligerent; elegerunt autem Egidium Munio Canonicum Barcinonensem, qui non nisi reluctans & ex jussu Alphonsi Aragonum Regis, Martino V. infens, hanc fictitiam dignitatem accepit, cui, inita pace inter Pontificem & Regem, lubens cessit anno decimo post Concilium Constantiense; & sic penitus extinctum fuit Schisma, quod quinquaginta annis duravit.

Concilium Basileense omitto; quia, licet initio fuerit legitimum, degeneravit tamen in apertum conciliabulum

& conventum schismaticum; nec quidquam in eo a Summis Pontificibus probatum est, quam quædam gesta circa censuras & causas beneficales ut Dissert. præced. ostendimus.

Concilium Florentinum Generale decimum-octavum.

Cum Patres Basileenses in schismate contra Eugenium IV. pertinaciter hærent, nec Græci vellent Basileam convenire propter distantiam & itineris difficultates, Eugenius juxta horum votum & consensum conventum Basileensem transtulit Ferrariam, seu potius Concilium generale indixit Ferrariæ, quod deinde propter pestem ea in urbe grassantem, post plures Sessiones translatum fuit Florentiam, unde dictum Florentinum. Anno itaque 1438. mense Januario inchoatum fuit hoc Concilium Ferrariæ; adfuerunt ex latinis 150. Episcopi, quorum plures Basileæ recesserant. Primæ Sessioni præfuit Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis ex Ordine Carthusianorum, cæteris Eugenius IV. Mense Februarii sequenti advenit Joannes Paleologus Græcorum Imperator, cum fratre suo Demetrio, Josepho Patriarcha Constantinopolitano, legatis aliorum Patriarcharum, & plurimis Orientis Episcopis, qui ab Eugenio, & cæteris Patribus, Primoribusque Civitatis honorificentissimè excepti sunt.

Actum est de quinque capitibus, inter utramque Ecclesiam controversis, nempe 1. De processione Spiritus S. a Filio. 2. De additione hujus particule *Filioque*, facta Symbolo. 3. De pane azymo, vel fermentato in Eucharistia. 4. De Purgatorio. 5. De primatu Romani Pontificis. Sex ex Latinis, totidem ex Græcis selecti sunt, qui circa illa publicè disputarent: ex Latinis designati sunt duo Cardinales, unus Archiepiscopus, unus Episcopus & duo Theologi, quorum unus erat noster Joannes de Monte Nigro Provincialis Lombardiæ, communiè dictus Joannes Theologus, qui in pluribus Sessionibus cum Marco Ephesino congressus, ipsum non semel mutum reddidit. Ex parte Græcorum nominati sunt ipse Marcus Ephesinus vir doctus, sed obstinatissimæ mentis, alter Metropolitæ, Bessarion Episcopus Nicænis, & alii tres; præcipuus inter eos fuit Bessarion, postea creatus Cardinalis ab Eugenio IV.

Post plures itaque disputationes tandem convenerunt Græci, excepto uno Marco Ephesino, de articulis propositis ad sensum Romanæ Ecclesiæ, scilicet Spiritus a Patre & Filio tanquam ab uno principio procedere, meritò additum fuisse Symbolo *Filioque*; in pane azymo, vel fermentato posse validè Eucharistiam confici, quemlibet tamen ritum suæ Ecclesiæ debere servare; dari Purgatorium, in quo animæ, quibus aliquid expiandum restat, detinentur: addiderunt tamen: *sed in eo, sive ignis sit, sive caligo, aut turbo, sive quod aliud, non contendimus.* Denique Pontificem Romanum esse Christi Vicarium, caput totius Ecclesiæ, & ipsi in B. Petro pascenti, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino plenam potestatem traditam esse. Hac quinque capita sic definita expresse continentur in celebri Decreto Unionis a Concilio edito, quod incipit: *Latentur Cæli.* Verùm hæc pax, tam solemniter inita & firmata, non diu stetit: Marcus Ephesinus enim, in Patriam redux, cum apud suos auctoritate polleret, plures in suas partes retraxit: nulla tamen hæc usque facta est publica definitio contraria Florentinæ. Unde error Græcorum, qui a nobis dissident, debet dici error personalis, non totius Ecclesiæ Græcæ.

Consummata utriusque Ecclesiæ unione, antequam discederent Græci, advenerunt deputati a Patriarcha Armenorum, qui etiam pacem & unionem cum Ecclesia Romana petebant. Hi autem Eutychariano erant infecti: seu juxta aliquos, unam tantum in Christo naturam admittebant, sine tamen confusione & admixtione, circa quædam alla fidei capita errabant. Postquam igitur sufficienter fuerunt instructi, Eugenius Sacro approbante Concilio dedit eis litteras unionis, continentes compendio Doctrinam, Catholicam & quæ dicuntur Decretum Armenorum, quod incipit: *Exultate Deo.*

Volunt quidam, hoc decretum non habere auctoritatem Decreti Concilii Generalis, sed Nationalis tantum, quia discesserant Græci, quando fuit editum. Verum tamen Eugenius in eo dicit datum, *Sacro approbante Concilio.* Item dicit se ipsos tradere Decretum unionis cum Græcis consummatæ pridem *IN HOC SACRO OECUMENICO FLORENTINO CONCILIO promulgatum, cujus tenor talis est: Eugenius, &c. Latentur Cæli, &c.* Item istud decretum subscribitur: *Datum Florentia in publica sessione Sinodali, solemniter in Ecclesia majori celebrata.* Item in decreto unionis

nis Jacobitarum, etiam edito post discessum Græcorum & quod incipit: *Cantate Domino*, dicit idem Eugenius: *Hanc, quæ sequitur, veram necessariamque Doctrinam, hodie in hac solenni Sessione, sacro approbante OECUMENICO CONCILIO FLORENTINO in nomine Domini tradidimus.* Item cum in Concilio Trid. ann. 1547. Februarii 26. Episcopus Clodiensis excitasset difficultatem de Bulla unionis Jacobitarum, quasi non pertineret ad Concilium Florentinum, quod dicebat absolutum, quando consignata fuit Bulla unionis Græcorum, Cardinalis de Monte reposuit, *Hallucinatos, qui putant finem Concilii Florentini fuisse unionem Græcorum, cum longè post, per tres scilicet fere annos perduraverit, videletur ad ann. Domini 1442. quo ann. 6. Kalendas Maii, celebrata Sessione, Romam translatum fuit: Patere id ex diversis constitutionibus medio illa tempore editis, quæ in Actis Concilii habentur.* Ita legitur Tom. I. Actorum Concilii Trid. sub Paulo III. quæ in Arce S. Angeli asservantur, ut refert Horatius Justinianus 3. p. Actorum Concilii Florentini.

Ad rationem oppositam respondetur, Græcos fuisse ad hoc Concilium convocatos, & potuisse, si voluissent, usque ad finem remanere, quod sufficit ad oecumenicitatem Concilii, si ad sint plures ex majori parte Provinciarum aliarum cum summo Pontifice. Insuper Armenorum Legati mentem suam Græcis aperuerunt, antequam discederent; Græci Patribus commiserant vices Concilium continuandi; Græci Patribus instructi edum, auctoritatem Concilii Florentini, quo approbante factum est, sibi meritò vindicat. Sed esto non esse decretum Concilii generalis, est saltem decretum Concilii Nationalis circa fidem Catholicam, a summo Pontifice solemniter confirmatum, proinde irrefragabilis aucto ita is.

Petes, utrum Synodus Florentina, etiam ante discessum Græcorum fuerit certò & indubitata oecumenica, talisque semper habita fuerit in universa Ecclesia? R. affirmativè: quia omnis Synodus ex Episcopis Orientis & Occidentis congregata, Romano Pontifice per se, vel per suos Legatos præside, est & semper fuit habita oecumenica; talis autem fuit Synodus Florentina: ergo.

Dices: Synodus Florentina absque legitima auctoritate fuit congregata, nimirum contra prohibitionem Concilii Basileensis, quod Sessione 8. & 11. quando erit adhuc legitimum, sancivit nullum aliud Concilium, stante Basileensi, celebrari posse, & hoc Basileense a nemine, *Etiam si Papalis dignitatis transferri posse, absque expresso consensu duarum partium cuilibet deputationis:* ergo. R. 1. Hæc Decreta Concilii Basileensis non fuisse confirmata ab Eugenio IV. ut sat superque ostendimus Dissert. præced. 2. Summis Pontifex in his, quæ non spectant fidem, potest temperare & interpretari Decreta Conciliorum generalium, ubi subsunt justæ causæ, ut etiam declarat ipsa Synodus Basileensis Sess. 12. hic autem aderat justa causa, quia Græci nolebant ire Basileam. Insuper ista translatio facta est de consensu majoris & sanioris partis Concilii Basileensis, quæ cum Legato Apostolico Cardinali S. Juliani & Cardinali S. Petri ad vincula, Basileam Ferrariam transmigravit.

Inst. Cardinalis a Lotharinga in Ep. data in Concilio Trid. ad Joannem Britonem, suum in Curia Romana Procuratorem, ut excusaret aliquo modo apud summum Pontificem ardorem, quo obstiterat Sessioni, 23. ne in præfignitis titulis Romani Pontificis adhiberentur termini, quos usurpaverat Concilium Florentinum: dicit: *ego negare non possum, quin Gallus sim & Parisiensis Academiae alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docent tibi contrarium tanquam Hæretici notantur apud Gallos: Constantiense Concilium in omnibus suis partibus generale habetur: Basileense in auctoritate admittitur: Florentinum perinde legitimum & generale non reputatur. Atque idcirco Galli de vita potiusquam de sententia decederent.*

Respondet doctissimus Serry, ipse Doctor Parisiensis opusculo de Romano Pontifice p. 231. his verbis: *Ne tu quæso nimia simplicitate bonus, qui exaggerasti illis Lotharingi verbis illud tibi facile patetis: certè, quamquam negari non possit Academiam Parisiensem, aut certè Doctorum illius partem plurimam, ab actis Doctrina, de Romanorum Pontificum supra Concilia etiam oecumenica presentia atque auctoritate, deflexisse jam tunc a Concilio Constantiensi & Basileensi temporibus, & in oppositam sententiam propendisse magis: Falsum tamen est, Theologos illos Parisienses sententiam, quam tunc primum amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a quo quicumque defluerent, tanquam Hæretici notarentur. Falsum perinde est, imò falsissimum, Concilium Florentinum pro legitimo Theol. Billuarr. Secunda Secunda.*

& generali in Gallis non haberi: Unde & hanc ipsam Cardinalis Lotharingi hallucinationem nervosè confutat, falsique convincit Natalis Alexander Dissert. 10. in Hist. Ecclesiæ. Sæc. 15. & 16. a. 1. n. 6. quamquam sit hæc in parte Romanis Pontificibus parum propitius, quos Concilii Oecumenici subjecit. Quare, aut ea, quæ jactantur Cardinalis a Lotharinga ad Joannem Britonem Procuratorem suum Epistola, supposititia est, ac planè fictitia, aut de nimio excessu in exaggeranda amplificandaque Parisiensis Academia sententia convincitur vir, aliis omni laude dignissimus. Equis enim Auxesim illam amplificationemque non rideat, Gallos de vita potiusquam de sententia, quæ Romanos Pontifices Concilii subjecit, decensuros.

Concilium Lateranense V. Generale decimum nonum.

Novem Cardinales a Julio II. animo alieni, adventibus Maximiliano Imperatore, & Ludovico XII. Rege Gallie, eidem Pontifici pariter infensis, ann. 1511. Conciliabulum Pisis congregaverunt, quod postea Mediolanum deinde Lugdunum transtulerunt. Julius, ut horum conatus sisteret, generale Concilium convocavit Romæ celebrandum, quod sæpius interruptum, duravit quinquennio, usque inchoatum ann. 1512. & absolutum ann. 1517. Huic adfuerunt 15. Cardinales, Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus, & Episcopi juxta quosdam 77. juxta alios 114. Relicto Concilio Pisano, huic adhesit Ludovicus XII. misso ad illud Oratore.

Sessione 2. damnantur Conciliabuli Pisis Acta. Sessione 3. decernuntur pœnæ in Cardinales Schismaticos Conciliabuli Auctores. Sessione 4. Pragmatica Sanctio, jam a Ludovico XI. Pio II. suadente, abrogata, proscibitur. Post 3. Sessionem moritur Julius II. cui succedit Leo X. qui reliquis Sessionibus præsedit. Sessione 7. duo Cardinales Schismatici ad pedes Pontificis, in simplici habitu Clericali provoluti, abjurato schismate & Concilio Pisano, pristina dignitati restituntur. Sessione 8. definitur, animam rationalem esse immortalem. Sessione 10. Montes pietatis declarantur justis & licitis. Sessione 11. approbatur Concordatum Pragmaticæ Sanctionis subrogatum, initum Bononiæ, durante Concilio, inter Leonem X. & Franciscum I. Ludovicum XII. Stuecesorem. Sess. 12. decernuntur ad triennium decimæ ex omnibus proventibus Ecclesiasticis pro expeditione Terræ sanctæ, & Concilium dirimitur.

Petes, quid sit famosa illa Sanctio Pragmatica? Quid Concordatum? R. Quod hæc Pragmatica Sanctio sit Constitutio edita a Carolo VII. ann. 1438. in Conventu Bituricensi, continens 23. Articulos conformes Decretis Concilii Basileensis, quorum præcipui sunt, quod Electiones Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum fierent more antiquo a Capitulis ex licentia & assensu Regis: Quod Annatæ non solverentur Curie Romanæ: Quod Romanus Pontifex subjeceretur Concilio Generali, &c. Hæc ergo Sanctio & a Ludovico XI. & a Concilio Lateranensi, pluribus licet Gallis reclamantibus, abrogata, Leo X. & Franciscus I. Bononiæ Concordatum inierunt, quo nominationes ad Episcopatus & Abbatis, quæ non vacarent in Curia Romana, pertinerent ad Regem, modò fierent intra sex menses a vacantia; confirmatio autem pertinerent ad Romanum Pontificem. Plures alios Articulos continet, partim difformes Sanctioni Pragmaticæ, sed de Annatis non solvendis Curie Romanæ, & de subjectione Pontificis Concilio generali, nihil.

Concilium Tridentinum generale vigesimum & ultimum.

UT erroribus Lutheri in Germania, Zuinglii in Helvetia, Calvinii in Gallia, Ecclesiam Dei miserò vexantibus, innumerisque propè malis indè scaturientibus, atque morum, tam Clerici, quam Populi, relaxationi obviameretur, necessarium visum est Concilium generale congregari. Illud indixit Tridenti Paulus III. ann. 1544. et inchoatum fuit ann. subsequenti 1545. 13. Decembris. Duravit 18. annis, ad annum scilicet 1563. sub tribus Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. bis interruptum, semel occasione pestis Tridenti grassantis, sæpè propter ingruentia bella.

In 1. Sessione sub Paulo III. aderant tantum eum duobus Legatis Pontificis Concilii presentibus, 4. Archiepiscopi, & 22. Episcopi; sed alii postmodum successivè advenerunt; ita ut sub Pio IV. adfuerint fere 300. tam Cardinales, quam Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi; item plures Abbates et Generales Ordinum, Theologi ex omni Natione penè innumeri, Oratores Cæsaris, Regum Gallie, Hispaniæ, Poloniæ, & aliorum Principum, & Regum.

rumplicarum 16. Inter Episcopos numerantur 26. Galli, Illyrici tres, Graeci sex. Sub Paulo III. habitae sunt 10. Sessiones, sub Julio III. sex. sub Pio IV. novem, in summa 25. In ultima, quae sancta fuerat sub Paulo & Julio, approbata sunt, & omnia ad petitionem Patrum confirmavit Pius IV. Bulla data 7. Kalendas Februarii anno 1564. Acta hujus Concilii fusiis & distinctis non refero, quia ubique publici juris facta, omnium manibus tenentur.

Petes, utrum Concilium Trident. quantum ad disciplinam sit receptum in Gallia. Dico: quantum ad disciplinam, quia quantum ad decreta fidei in Gallia, sicut in universa Ecclesia, summo & venerabundo consensu esse receptum, nemo ambigit. Ad petitionem, R. verbis duorum insignium inter Gallos Scriptorum, Joannis Cabassutii & Joannis Pontas. Cabassutius Notitia Ecclesiastica seculi 16. pag. mihi 599. de Concilio Trid. haec habet: *Postremo Edictum confirmationis sacrosancti Concilii publicatum Romae 7. Kalendas Februarii anni 1564. universus Clerus Gallicanus in Provincialibus, quae passim supra Gallia postea coacta sunt, Conciliis, atque in generalibus sacri Cleri Comitibus, sacrosanctae hujus Synodi decreta ita complexus est, ut nefas sit ei refragari.*

Pontas verbo Beneficior casu 27. sic loquitur gallice: *Le Concile de Trente a été reçu unanimement par l'assemblée generale du Clergé de l'Eglise Gallicane, convoquée & tenue a Paris en l'année 1615. ainsi qu'on le voit par les pieces contenues dans les memoires du Clergé. Après une longue & mure deliberation, disent les Prelats assemblez, du commun & unanime consentement de l'assemblée, la résolution suivante y a été faite: Les Cardinaux, Ar-*

chevques, Evêques, Prelats & autres Ecclesiastiques souzsignez, representans le Clergé general de France, assemblez par la permission du Roi au Couvent des Augustins a Paris, apres avoir murement delibéré sur la publication du Concile de Trente, ont unanimement reconnu & declaré, reconnoissent & declarent, qu'ils sont obligés par le devoir & conscience a recevoir, comme de fait ils ont reçu & reçoivent le dit Concile, & promettent de l'observer tant qu'ils peuvent par leur foyction & auctorité spirituelle & pastorale. Quae sic latine redduntur: Concilium Trid. unanimiter fuit receptum a Conventu generali Cleri Ecclesiae Gallicanae, convocato & congregato Parisiis anni 1615. prout constat ex Actis contentis in Commentariis Cleri. Post maturam & longam deliberationem, inquit Praesules congregati, communi & unanimi consensu catus, decretum sequens in eo fuit editum: Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prelati, & alii Ecclesiastici subscripserunt, representantes Clerum generale Galliae, congregati cum licentia Regis in Conventu Augustinianorum Parisiis, post maturam deliberationem super publicationem Concilii Trid. unanimiter agnoverunt & declaraverunt, agnoscunt & declarent, se tenuri ex officio & conscientia recipere, sicut de facto receperunt & recipiunt praefatum Concilium; promittuntque illud observare, quantum possunt vi sui officii & auctoritatis spiritualis ac pastoralis. Huic decreto subscriperunt 51. tam Cardinales, quam Archiepiscopi & Episcopi, quorum nomina refert laudatus Pontas ibidem, & 28 alii Ecclesiastici deputati.

Alia Digressiones historicas praesenti Tractatui non inseruimus, quia totas fermé est historicis.

TRACTATUS DE SPE.

DISSERTATIO UNICA.

D. Thom. a Quaest. 17. ad 22.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes?

Spes, generaliter sumpta, (2. 2. q. 40. a. 2. o.) est *Motus appetitivus partis in bonum futurum arduum, seu difficile, possibile tamen adeptu.* Dicitur *Bonus* (Ib. a. 1. o.) quia, licet antiqui quandoque dixerint, Spem esse etiam malorum, haec tamen acceptio est valde impropria: non enim proprie loquendo est Spes nisi de bono, & per hoc Spes differt a timore, qui est de malo. Dicitur *Futurum*, quia non est Spes de praesenti jam habito, & per hoc differt Spes a gaudio. Dicitur *Arduum*, id est, difficile adeptu; non enim aliquis dicitur sperare quid minimum, quod statim est in sua potestate, ut habeatur: & per hoc differt Spes a cupiditate vel desiderio, quod est de bono futuro simpliciter. Unde desiderium pertinet ad appetitum concupiscibilem, Spes autem ad irascibilem. Dicitur *Possibile adeptu*; nemo enim sperat id, quod adipisci omnino non potest, & secundum hoc Spes differt a desperatione.

Spes verò Theologica definitur potest: *Habitus animi, divinitus infusus, per quem certa cum fiducia aeternae vitae bona auxilio divino obtinenda expectamus.* De ea quaerimus in hoc art. 1. An sit virtus? 2. An sit virtus Theologica? 3. An sit virtus distincta ab aliis virtutibus Theologicis? Potest considerari cum charitate, & dicitur Spes formata; vel sine charitate, & dicitur Spes informis, sicut supra dictum est de fide.

Dico 1. (Hic q. 17. a. 1. o.) Spes Christiana etiam informis est virtus, imperfecta tamen. Prob. 1. pars (Ib.) Sperare Deum eius auxilio possidendum est actus bonus, ad quem, cum sit supernaturalis, voluntas ex se non est determinata & proportionata: ergo debet in eo poni virtus, qua ad illud determinetur & proportionetur, eumque prompte & facile eliciat; non nisi enim in hos fines ponantur in potentiis habitus virtutum. Prob. Ant. Sperare Deum ejus auxilio possidendum,

est actus conformis legi aeternae; tum quia de illo datur praecipuum, *Spera in Deum & ipse faciet Ps. 36.* tum quia illo sanctificamur & salvamur, *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se 1. Joann. 3. & Spe salvi facti sumus Rom. 8.* ergo. Confirm. 1. Spei Christianae etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bonè vivitur, & nemo malè utitur, ut principio: ergo. Confirm. 2. Apost. 1. Cor. 12. Spem annumerat fidei & charitati, quae sunt virtutes: item omnes Theologi agnoscunt tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: ergo.

Patet 2. pars. Quia Spes sine Charitate non facit hominem simpliciter bonum; licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet aeternam; ideoque non habet statum & modum perfectae virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

Dices contra 1. partem. 1. Virtus juxta Philosophum est dispositio perfecti; atqui Spes non est dispositio perfecti, cum sperans careat bono & perfectione, quam sperat: ergo. 2. Praesumptio est sperare beatitudinem sine charitate. 3. Virtus versatur circa difficile, non est autem difficile sperare. 4. Sic se habet Spes ad bonum, sicut timor ad malum; atqui timor non est virtus: ergo. R. ad 1. (Ibid. ad 3.) quod, quamvis ille, qui sperat, sit imperfectus secundum considerationem ad id, quod sperat obtinere, quod nondum habet; est tamen perfectus quantum ad hoc, quod attingit regulam propriam, scilicet Deum, cujus auxilio nititur. Unde D. Maj. Virtus est dispositio perfecti in omni genere, N. Alioquin una tantum esset virtus: in certo genere & materia, C. sic autem Spes est dispositio perfecti, quia perficit voluntatem in suo proprio ordine & propria materia, ut scilicet rectè feratur, innoxia divino auxilio, in aeternam beatitudinem adipiscendam. Ad. 2. D. Ant. Praesumptio est sperare beatitudinem obtinendam sine charitate, C. nec sic sperat, qui est extra charitatem. Praesumptio est sperare sine charitate beatitudinem obtinendam per charitatem, N. Et sic sperat peccator; sperat enim,

saltem tacite, consequi remissionem peccatorum, & ita charitatem obtinere, atque per eam vitam consequi aeternam. Ad 3. N. Min. Norunt enim, qui tentationibus desperationis concutiuntur, quam sit difficile sperare. Aliunde, etsi esset facile simpliciter sperare, est tamen difficile sperare eo modo, quo oportet. Ad 4. N. Ant. Spes enim importat actionem, qua insurgimus contra difficultates, & accendimus ad Deum; timor autem importat recessum, & cessationem ab actione; ubi enim est solus timor sine ulla spe, homo non agit, sed succumbit. Porro ad agendum requiritur virtus, non ad non agendum. 2. N. Min. universaliter sumptam; datur enim timor, qui est donum Spiritus S. & potest dici virtus.

Dico 2. (Ib. a. 5. & 6. o.) Spes est virtus Theologica a fide & charitate distincta. Prob. 1. pars (Ibid. a. 5. o.) illa virtus est Theologica, cujus objectum immediatum est Deus; atqui objectum immediatum virtutis spei est Deus possidendus, ut constat ex art. seq. ergo. Prob. 2. pars (Ibid. a. 6. o.) Virtutes distinguuntur penes objecta formalia; atqui objectum formale spei distinguitur ab objecto formali fidei, & charitatis: Objectum enim formale fidei est Deus ut verus, charitatis Deus ut in se bonus, spei Deus ut nobis bonus: ergo. Confirm. (Ibid. in a. 5. c.) Ubi non est distinctio, ibi non est numerus; atqui spes ab omnibus passim annumeratur aliis virtutibus Theologicis, Apost. 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria haec, &c.* Gregorius l. 2. moral. 28. dicit, esse tres virtutes, fidem, spem, & charitatem; & sic alii passim: ergo.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum Spei?

Præmitto, quod jam observavi de fide, & alibi, triplex distingui objectum potentiae, aut habitus: Materiale, & formale; formale duplex, formale *Quod*, & formale *Quo*. Objectum materiale est id omne, quod attingitur a potentia, & habitu; Formale *quod* est id, quod in objecto materiali principaliter, & ratione sui attingitur, cetera ratione illius: Formale *quo* est motivum, & ratio, propter quam, & sub qua objectum materiale attingitur. Exemplum poni solet in potentia visiva; est objectu materiale, & extensivum est omne corpus coloratum lucidum: Objectum formale *quod*, seu ut dicunt attributionis, est color: Objectum formale *quo*, lux. Difficultas est de objecto formali *quod*, & formali *quo* Spei.

§. I. Quodnam sit objectum formale quod Spei?

Suppono 1. Objectum materiale adaequatum, & extensivum Spei esse aeternam beatitudinem, & omnia ad illam conducentia; quia haec omnia cadunt sub objecto *quo*, seu sub ratione formali Spei, quae est omnipotentia auxilians, ut dicam §. seq.

Suppono 2. Inter haec omnia Beatitudinem esse objectum primarium & principale, quod dicitur formale *quod*; quia est id, quod principaliter primò per se, & ratione sui speratur, cetera autem ratione illius. Unde sub diverso respectu est objectum materiale, & formale: ut res sperata determinata a motivo sperandi est objectum materiale, sicut cetera: ut res principaliter, & ratione sui sperata, & ratio, propter quam illa speratur, est objectum formale *quod*; seu, si major materiale principaliter, cetera materiale secundarium. Et haec constant inter Theologos: sed difficultas est, quae beatitudo sit objectum formale *quod* Spei, an formalis, an objectiva? Beatitudo objectiva est ipse Deus; formalis est possessio Dei, seu visio beatifica, qua possidetur, ut explicatum est in Tract. de Beatitudine.

Dico (Ib. a. 2. o.) Objectum formale *quod* Spei non est beatitudo formalis, sed objectiva connotans tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam. Prob. 1. (Ib.) Spes, ut dicam §. seq. innititur omnipotentiae divinae auxilianti, cuius virtus est infinita; atqui virtuti infinitae debet respondere effectus infinitus, effectus enim proportionatur cause: ergo bonum, ad quod omnipotentia auxilians tanquam ad sibi proprium & proportionatum perducit, est infinitum. Subsumo; atqui beatitudo objectiva, & non formalis, est bonum infinitum: ergo. Bene advertit Joannes a S. Th. Auctorem non dixisse propriam virtutis infinitae esse perducere ad effectum infinitum receptum in creatura; quia creatura non est capax effectus infiniti in se recepti; sed perducere ad bonum infinitum, quod est communicabile modo finito.

Prob. Objectum formale *quod* & immediatum Spei Theol. Billuart. Secunda Quodæ.

debet esse aliquid purè divinum, & increatum, ut patet in fide, & charitate; et quia alioquin Religio, quae mediante cultu attingit Deum, foret virtus Theologica quod communiter negatur; atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, est quid divinum, & increatum, non beatitudo formalis, quae est actus creatus: ergo. Confirm. Idem est objectum, in quod tendit motus spei, seu desiderii, & in quo quiescit, quando illud consequitur: sicut idem est locus, in quem tendit lapis, et in quo quiescit; atqui objectum formale *quod*, & immediatum quietis, & fruitionis Dei, est ipse Deus ut bonum infinitum, non aliquid creatum: ergo.

Prob. 3. Illud est objectum formale *quod* Spei, quod principaliter primò per se, & ratione sui a spe attingitur, & ratione cujus cetera attinguntur; atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis: ergo. Prob. Min. Sperans non quaerit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato, sed quaerit possessionem Dei propter Deum. Item non quaerit possessionem Dei ut rem beatificantem, sed ut modum, & applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quaerit pecuniam ut rem, possessionem autem non quaerit ut rem; non enim quaerit possessionem ut possidendam, sed ut modum, & applicationem rei possidendae: ergo.

Prob. 2. pars: Deus non est objectum spei, nisi ut possidendus; atqui possidetur per visionem beatificam, quae est beatitudo formalis: ergo in objecto formali *quod* spei importatur de conato, & in obliquo visio beatifica, seu beatitudo formalis, tanquam conditio, & applicatio objecti formalis.

Ex his colliges, quod neque aggregatum ex beatitudine formali, & objectiva possit dici objectum formale *quod* spei: tum quia istud aggregatum non est quid purè divinum, & increatum; tum quia beatitudo formalis, & objectiva, in objecto spei non sunt duae res, aut duae cause, sed una res tantum, & una causa cum applicatione cause; ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva, seu Deus; ejus autem possessio conditio tantum requisita, ut beatificet: sicut, dum ignis applicatus ligno comburit, ignis, & applicatio non sunt duae cause, sed una tantum, quae est solus ignis; in eo solo enim est tota virtus comburendi, in applicatione nulla, sed requiritur dumtaxat, ut virtus ignis attingat lignum, & in ipsum agat.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Spes supponit amorem concupiscentiae, & ex illo oritur; atqui Deus non potest amari amore concupiscentiae: ergo Deus ipse non potest esse objectum formale *quod* spei, sed beatitudo formalis. Prob. Min. Quod amatur amore concupiscentiae, amatur propter aliud: sic qui amat cibum & potum ad sui conservationem, illos amat propter se, & ad se eos ordinat; atqui Deus non potest amari propter aliud, & ad illud ordinari, cum sit ipse finis ultimus, ad quem omnia debent referri: ergo. R. solutione communi, N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quod amatur amore concupiscentiae, amatur propter aliud, Tò Propter dicente aliquando finem cui, seu subjectum per rem amaram perficiendum, C. ad cujus sensum distincta Min. N. Conseq. Dupliciter itaque aliquid potest amari amore concupiscentiae, t. sic ut res amata referatur ad amantem tanquam ad finem: ut cum appetimus cibum, & potum in nostram conservationem: hoc modo Deus non potest amari amore concupiscentiae, quia hoc esset ipsum ordinare ad aliud tanquam ad finem, cum ipse sit finis omnium. Alio modo potest aliquid amari amore concupiscentiae, sic ut res amata habeatur semper ut finis, sed amatur alteri tanquam subjecto per hunc finem perficiendo: sic Deus dilexit mundum, ut illi Filium suum unigenitum daret; non quasi ad nos tanquam ad finem ordinaverit Incarnationem Filii, sed nobis tantum tanquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tanquam ad finem ultimum. Sic iterum, dum desidero alicui beatitudinem aeternam, non ordino beatitudinem ad ipsum tanquam ad finem, sed ipsi tanquam subjecto, ut bene illi sit per illum tanquam per suum ultimum finem: similiter ergo cum amo Deum amore concupiscentiae, ipsum non refero ad me tanquam ad finem; quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, & ipsi incharere, ut ultimo fini, est summa animae meae felicitas. Dumtaxat ergo refero ipsum ad me, ut ad subjectum per illum perficiendum tanquam per ultimum finem meum, in quo non tantum